

duo complectitur, *Formale* nimirum & *Materiale*. *Materiale terminos* $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ exhibet; *Formale* veram *salvandi rationem* possidet. Compendiosa tractatio modum præsentis tractationis introducit, *Proprietatis* vera nobis offerunt *Axiomata*. Primo *Axioma primitatis*, Secundo *axioma primitivæ conditionis & habitudinis*. Tertio *Axioma divinæ Veritatis*, *Auctoritatis & Sublimitatis*. Quarto *Axioma Catholicæ latitudinis vel Universitatis*. Partim *ratione salutaris utilitatis*, quod summam in omnibus obferat & pariat utilitatem. De singulis breviter $\epsilon\acute{\xi}\eta\gamma\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$ loco juxta textum præscriptum subjiciemus.

§. III.

Objectum ipsum termino salutaris *Christologias* voce *Seminis Mulieris* indigitatum, quod non est *significationis generalis*; sicut omnibus in universon mulieribus *Vox Seminis* per naturam appropriare potuit; Neque *specialioris applicationis*, prout in *V. Testamento* saepius ad certam gentem, & ad ipsam *Ecclesiam* determinatur; sed potius est *significationis individualis & singularis*, prout ad solum *Messiam* $\mu\omicron\nu\alpha\lambda\eta\kappa\omega\varsigma$ & $\epsilon\acute{\xi}\omicron\chi\eta\kappa\omega\varsigma$ determinatum. *Salutaris* autem *Christologia* nuncupatur, tum *ratione salutaris decreti*, dum per *æternum decretum* hominibus hæc salutaris *Christologia* destinata, tum *ratione salutaris verbi*, quia per *Evangelium* vere *salutis Verbum*, *Act. XIII. 26.* peccatoribus est revelatum, tum *ratione salutaris præconii*, quod in *Paradiso* juxta *Prot-Evangelium* est inchoatum, & per omnia secula mundi totius continuatum atque propagatum.

§. IV.

Dicitur autem *Compendium* tum *ratione nervose brevitatis & brevissima nervositatis*, quia *verbis paucissimis pluri-*